

1765
68

ILLUSTRIS ELBINGÆ
TOPOGRAPHIA,

NON STYLO MATHEMATICO,
SED CALAMO POËTICO;
NON IN ÆNEA VEL MARMOREA
TABULA,
SED IN ANIMO GRATO ET MAGNO-
RUM BENEFICIORUM PROBE
MEMORI

DELINEATA,

ET
IN CONSPECTUM UNIVERSI ORBIS
LITERATI

PRODUCTA

A
JOHANNÉ NAGELIO,

GILGENBURG. PRUSSO,
SS. TH. ET PHIL. STUD.

ANNO M DC XCVIII. V.

REGIOMONTI,
TYPIS FRIDERICI REUSNERI, SEREN. ELECT. BRANDENB.
ET ACAD. TYPOGR. HÆREDUM.

J. G. A.

Terentius in Adelphis.

-- -- Quid ego nunc te laudem? satis
certo scio,
Nunquam ita magnificè quidquam di-
cam, id virtus quin superet tua.

E. XXIII 18

Ovidius lib. 4. de Ponto.

Semper inoblitâ repetam tua munera
mente:

Et mea me tellus audiet esse tuum,
Audiet & coelo posita est quæcunque sub
ullo.

Salve Prussiaca ter-nobilis unio terræ,
 Tramite quam leni qui præterlabitur amnis
 Elbingæ, (1) Elbingam memorando nomine dixit.
 Salve formatrix studiorum chara meorum.

Quas Tibi pro tanto persolvam munere grates?
 Tota licet pectus vocali Phocis inundet
 Flumine, vix aliquam laudum libare Tuarum
 Particulam possem: Tanta est tua gloria Drusis! (2)
 Hunc tamen Herculeum mihi nunc concede laborem
 Quamvis, pertenui tantum modulamine libem
 Te laudesque tuas, ne ingratus vivere cogar.
 Te veneranda suis fabricavit in orbe vetustas
 Sumptibus, & veteri sat fundatore vigescis.
 Nam (3) Cruce signatus primùm Tibi condidit arcem
 Ordo, Teutonice veneranda colonia gentis,
 Ac libertatis Germanæ dulcis alumna.
 Moenia (4) Lubecâ post exstruere profecti
 Atque Tibi Sancti juris decreta dederunt.

A 2

Heu

(1) Petrus de Duburg in Chronico Prussia pag. m. 99. Elbingam à flumine præterlabente nomen sortitam esse putat, quam sententiam B. Christoph Hartknoch, Hennebergeri, Marci Sylvii Galiorum, tanquam veriore præfert, tum in notis ad l. c. Duburgii, tum in Select. Dissert. Hist. de variis rebus Prussicis pag. 35. & 341. ubi etiam de ipsius Fluvii nomine proluxè agit.

(2) Ita etiam vocari solet à lacu vicino, Drausen dicto vid. Hartknoch in notis ad Duburgium c. l. ubi ex opusculis Poëticis Magnifici Du. Frid. Zameli Consulis Elb. quondam laudatissimi, hos versiculos citat:

Nulla fides, nobis Ælveonas esse parentes,
 Est auctor, qui nos hic putat esse satos.
 Elbingæ flumen populo dat nomina nostro,
 Drusidos à Druio nomine sumpta lacu.

(3) (4) Hermannus de Balke l. Magister ordinis Teutonici in Prussia

Heu mihi quàm pulchro positu tuâ ritè triumphat
 Fulgidas! hic omnis abest impura mephitis,
 Spurciciesque loci: planò tua culmina campò
 Effers: arboreâ facie circumdata vernas,
 Ast dum dimitto vagos per singula visus,
 Quid primum memorem dubius quo sine quiescam,
 Hæreo: Tanta mihi variarum copia rerum
 Præstò est. Quis valeat numero comprehendere dona
 Ruris foecundi, nullis quod vepribus horret?
 Adspice sis agros, quibus imperat alma Segeffis:
 Prægnantes Naturæ sinus hîc dædala pandit,
 Illex unde decor visum dimittere nescit
 Admissum, & species oculis lustrantibus offert
 Usque novas. Dotes hic est spectare potentis
 Atque feracis agri. Pleno quæ fluctuat arvo
 Hinc atque hinc messis, metuit spem fallere lautam
 Indigenæ, pascitque suum non parca colonum
 Farre novo. Nusquam steriles dominantur avenæ,
 Infelix nusquam lolium lappæque tenaces
 Interimunt segetem, nullâ rus squallet eremo.

Tur-

*Prussia Provincialis, castrum Elbingense Anno Dominica incarnationis
 1237. in illo loco ubi Elbingus intrat recens mare, erexisse & à nomine
 fluminis appellasse censetur Duburgio p. 99. Quocum Hartfnoch
 & alii plurimi faciunt. De ipsius autem urbis extruptione Hartfnoch
 sequentia habet: Conditores hujus arcis, ut ex Duburgio apparet,
 sunt Magister Hermannus à Balke & Peregrini, quos Marchio Misnen-
 sis reliquerat. Qui autem postea urbem Elbingensem condiderunt,
 sine dubio fuere Lubecenses. Probari hoc potest ex privilegio Elbin-
 gensium primo, ab Henrico de Hohenboë Anno 1246. concessio, in quo
 ipsi usus juris Lubecensis conceditur. In insignibus quoque, præter duas
 cruceas, (quas à Crucigerorum ordine habent) rete ex Lubecensibus
 additum est. Confer. plur. c. l. pag. m. 101. De castri Elb. expugnatione,
 ejusdemque translatione, ac iterata destructione, idem AnFor. l. eod.
 agit. Eufius autem Gottlieb Himmelfreund infra citandus.*

Turgescit clivo tellus mammosa frequenti,
 Et se prociduo colles umbone salutant:
 Quos circumfusæ rorantia gramina tondent
 Buceriæ pecudes: sed eas prostratus in umbrâ
 Observat Corydon, & carmine mulcet amico.
 Nimirum hic formosa Pales complexa lacertis
 Continuis cererem, genalia prata coronat
 Herbarum viridi pictorum & syrmate florum.
 Pascitur hinc pastor, cui nunquam copia lactis
 Pressi vel liquidi deficit, recreetur ut ægrum
 Membraque producens ex æstu languida corpus.
 Hæc patulo in campo spectanda est copia rerum.
 Quod si jam lubeat lustrare hortensia septa,
 Quas non hic spectabis opes telluris alumna?
 Nam tunicata rigat Pomona subinde vireta
 Consertasque pyros. Nympham sentire videtur
 Stirps faustamque manum: sic sese subjicit illa
 Auras in patulas, nutritaque Najade multâ
 Suave viret. Pronus dat carpere munera ramos
 Crustumis meliora Pyris, quæis cytria cedant
 Poma, & Nausice patriis quæ legit in hortis.

Jam quantus labor hanc numerare leguminis omnem
 Prolem, quam præbent viridaria læta culina?
 Sed quò dilabor? Rem per compendia dicam,
 Elysi hic tuus est campus speciosa coronis.
 Prolubium est mihi nunc procedere ad alma fluenta
 Fluminis Elbingi, cui postquam convena Nagot
 Rivales inamissit aquas, per amœna locorum,
 Per viridans pratum liquidò nos tramite ducit
 Ad (5) mare dulcis aquæ, quod vasti Baltica Ponti

A 3

Ostia

(5) *Duburgio in Chronico Part. 3. c. 15. p. 98. mare recens;*
Hartknochio in notis ad h-l. Lacus recens, das frische Haff; Banoni

Ostia Prussiacis digito velut indice monstrat.
 Hic quæ miremur, spectacula sufficit amnis
 Drusidos, atque jubet lustrare examina gentis
 Squammigeræ, tacitò plausu quæ ludit in undis,
 Nympharumque sinus transit petulante natatu.
 Lucius amnigeni præluceat in agmine coetus,
 Lucius obscenæ pestis certissima ranæ.
 Contendit superare hunc perca datura salubres
 Ac lætas escas, quamvis armata minaci
 Pinnarum serie, præacutas tollat aristas.
 Nec desunt amixtæ nobis abdomine tardæ;
 Affinis longis non deest angvilla colubris,
 Non imis hærens barbatus gobio fundis,
 Qui, si iudicio Romani credis Apici
 Excultæ cœnæ caput est & gloria mensæ
 Divitis. Et profugus piscinæ est carpio septis,
 Nec non loricâ tectus tergumque caputque
 Cancer, qui premit chelis ultricibus hostem.
 Dicere quid refert tincas, solatia vulgi,
 Cum procerum mensis acipensera mittat opimum
 Flumen, quem Regem veneratur natio sima,
 Pinnigerumque secus? sed quæ te, Salmo tacerem
 Advena, qui (6) Codano illapsus gurgite, flumen
 Hoc intras illectus aquæ dulcedine svavi?
 Dum Tu deliciis mensam saliaribus ornas,
 Truttam nemo mihi stellatam terga sigillis

San-

*in notis ad Cluveri introduct. in omnem Geograph. lib. 4. c. 27. in
 Boruss. lacus aqua dulcis dicitur.*

(6) *Quamvis Codanus sinus illam partem maris primariò
 notet, quæ est inter Scandiam & Gutlandiam, Danicæq; insulas at-
 luit: nihilominus tamen à multis pro totò mari Baltico usurpari
 solet vid. Joh. Hübners / Re.T. Gymn. Martuburg. Kurze Fragen aus
 der neuen und alten Geographie. pag. m. 783. Confer lib. cui Tit.
 Respublica & Status Imperii Romano-Germanici &c. Tom. 2. pag. m. 379.*

Sanguineis ponat, peregrinos nemo Siluros
 Lautis adspargis, scitamentisque palati
 Præinctos variis condita in lance coronet.
 Ergo Tui, DRUSIS, rivi est hoc muneris omne,
 Quod Tibi lau arum rerum nunc copia tanta est.
 Hisce bonis crescat: per quem commercia jungunt
 Magnæ urbes Prussæ, & quod postulat esus & usus
 Accipiunt, velut est vera experientia testis.
 Næ Tu divitiis hoc promotore potiris
 Omnigenis, Argo quas mercurialis ab orbe
 Adyehit externo. Vicina Polonia quamvis (7)
 Amplius haud veçtet fruges (quarum Tibi larga est
 Copia, & hinc illas peregrinas mittis in oras);
 Nec magis excrescas (8) Anglorum divite gazâ;

Non

(7) Ante viginti & plures annos Polonia minoris incolas ad
 Vistulam habitantes navigiis quibusdam (quæ Beypel-Rähne etiam-
 num dicuntur, procul dubio inde, quod Vistulam transcant) frumento
 refertissimè Elbingam quotannis petiisse; at, cum Nagotus (qui Vistulam
 quidem insluit, ab eadem autem iterum separatur inq; Elbingum s; Gla-
 cum aqua dulcis sese exonerat) præter modum extra ripas Elbingæ pro-
 ximas diffuere omnemq; Polonorum navigationem eluvio suo impedi-
 ret, nec ullâ vi, nisi paucis abhinc annis, coërceri posset, Gedanum illos
 navigationes suas direxisse, constat. Supplent autem defectum hunc
 tum Insula Elbingæ viciniores, veluti major illa, quam Vistula &
 Nogadus efficiunt, & Fischauwissentis (antiquos enim Insulas appel-
 lasse, quæ ne Peninsularum quidem nomen satis sustinebant, auctor
 est Hariknochius in Seleçt. dissert. Histor. de Rebus Pruss. p. m. 22.) tum
 alia Provincia Regalis Ducaliqu; Prussæ, cum primis Hockerlandia,
 Pogeſania, Pomesania, Sossavia, Warmia, quas omne frumentum El-
 bingam convehere obscurum esse non potest illi, qui vel in dictis Pro-
 vincis degunt, vel Elbingæ aliquamdiu commorati sunt.

(8) Cluverus c. l. pag. 436. sequentia hæc de re tradit: Elbin-
 gium vulgò Elbing, Anglorum opibus, qui pannis hic negotiantur, in
 singularem nitorem in dies crescit. Addit autem Commentator ejus
 pag. seq. Hodie verò Angli pannorum Stapelam, quam vulgò vo-
 cant, habent Dantisci.

Non tamen hinc gentes alio sub sole calentes
 Desistunt celeri tua litora tangere nave;
 Quod nōrint varias ex te depromere dotes.
 Ast loculos tunc ære tuos quæstuque feraci
 Explent, aut aliō te terræ munere donant.
 (Nam licet haud uni tribuantur munera terræ
 Omnia, plura tamen tibi largè prodiga rerum
 In gremium natura parens concessit amœnum.)
 Scilicet hic fluvius non dedignatur onustas
 Puppès ferre, bonâque fide sibi credita reddit,
 Tutior Oceano, qui sorbet sæpè natantes
 Mercatoris opes multò sudore paratas.
 Hinc (9) olim * ingenuis populoque foroque superbis
 Urbibus Hansatico junxisti fœdere dextram.

Sed

(9) Hoc enim unum erat ex requisitis in illis Civitatibus, quæ in hoc fœdere comprehendi voluerunt, ut in maris essent litore, aut in fluviorum navigabilium ripâ, eâ maris vicinitate, ut mutui commercii & negotiationis esset commoditas. Indicare hoc etiam videtur ipsa vox Hanse, quam ex duabus aut tribus aliis compositam, & dici quasi an der See, hoc est, apud, aut ad mare, communior est opinio. * Secundum requisitum erat, ut libera essent, ita, ut partiarum suarum claves in potestate haberent, & civilia exercerent judicia, quamvis de cætero principem aliquem superiorem agnoscerent. Tertium erat ut sub imperio essent. De numero civitatum, quæ tribus hisce gaudentes requisitis, hoc se in principio colligarunt fœdere, inter Auctores non convenit. Quidam enim 66, quidam verò septuaginta duas, alii vero plures fuisse tradunt. Divisa fuit hæc liga in quatuor membra seu Classes. Quod verò Elbinga etiam hoc fœdere civitatibus illis juncta fuerit expressè testantur seqq. auctores: Job. Hübner c.l. p. 567, 569. Angel. Werdenhagen in lib. de Rebuspubl. Hanseaticis, Johannes Hagemeyer de Fœdere Hanseaticâ, Fr. Erdmuth Sophia/ geböhre Chursfürst. Prinzhessin zu Sachsen etc. in lib. Sonderbahre Kirchen- Staat- und Welt- Sachen pag. m. 297. & 299. qui Elbingam in classe quartâ scil. Daniiscana (qui ordo non secundum dignitatis, sed temporis, quò quæq; civitas in confederationem assumpta

Sed me longa nimis remoratur linea rivi;
 Hâc extra muros tantùm te dote coronat
 Numen, at intus habes potioris munera censûs.
 Non igitur leviora canam, cum nobiliora
 Adsint. In gremio nam semper enutris alumno,
 Qui validum circi clavum moderantur avitâ
 Integritate viros, qui propria commoda temnunt,
 Et studiô vigili florentes publica curant.
 Nam, cives dulci dum condunt lumina somnô,
 Perlustrant muros volucris Palamedis ad instar:
 Et velut è specula casus, hyemesque futuras
 Prævisas docti sunt dexteritate cavere.
 Qui statuta DEI sincerâ mente colentes
 Non falsâ populum sub Religione tuentur,
 Pura sed Israël quæ manat fonte perenni.
 His aliquando fuit pulchrum, illam pectore toto (10)

B

Amplecti

sumpta est, rationem factus est, vid. lib. cui tit. Respublica & Status Imperii Romano-Germanici ex offic. Elzeviriana Tom. 2. p. m. 376.) collocant. Et quamvis Elbinga aliæq; Borussiae civitates se ab Imperio separarint, eò quod ob tyrannidem Ordinis Teutonici rebus secundis elati, (vid. Buno in not. ad Cluveri Geogr. p. 435.) in clientelam, fidem ac defensionem Regum Poloniae, anno 1454, sese contulerint; admittitur tamen quia & in antiquis & recentioribus imperii matriculis nomen ejus reperitur, & hoc seculo quoq; adhuc cum aliis ad comitia Imperialia citata sit vid. c. Respubl. Imper. Romano-Germanici in appendice de fœdere Hanseaticarum civitatum p. m. 372. Quando autem hoc fœdus ceperit, & exspirârit, quamdiu durârit, & quis finis ejus fuerit, auctores modò allegati fusè docent.

(10) Es ist aber erweislich/ daß in der Stadt Elbing fast eher als in Thorn und Danzig/ das Wort Gottes/ so Doct. Martinus Lutherus von menschlichen Satzungen und Mißbräuchen gereiniget/ angenommen worden. Denn im Jahr Christi 1523. war schon der Raht und die Bürgerschaft meistens dieser Religion zugethan/ welches unter andern daraus insonderheit abzunehmen/ weil in dem

jeht

Amplecti primum, purgatam à fordibus illis,
 Papa quibus multos mundam maculaverat annos.
 Nec tantum amplecti, verum & venerarier usque,
 Omnibus atque modis sanctam defendere contra
 Papiſtæ (11) Inſultus permulta cæde cruenti.

Quos

jezt erwehntem Jahre der Raht in Elbing den Schwarzen Mün-
 chen das Raht-Läuten verbohten / und auch das Predigen geleet.
 Deswegen auch der Prior und der Lector bewogen worden / daß sie
 einen schlechten Leiter-Wagen mit Kloster-Gütern wol beladen / und
 sich ohne der andern Münche Vorwissen davon gemacht. -- Es
 ist aber diese Veränderung ohne Widerwillen und Tumult abge-
 gangen / welches nächst Gott des Rahts Vorsichtigkeit zuzuschrei-
 ben. B. M. Christoph. Hartknoch in der Preußischen Kirchen-Historia
 lib. 5. c. 1. pag. m. 976.

(11) *Quantas summè Religiosi Elbingenses propter liberum
 Religionis exercitium (quod omnibus viribus expetebant, & DEI ad-
 juti auxilio, tandem impetrarant) superiore Seculo ab Episcopo,
 Hosio cum primis, & Rudnickio perpeſsi fuerint perſecutiones, lauda-
 tus atq; sapius citatus. Auctor B. Hartknochius Histor. Eccles. multi-
 paginis commemorat. Ex quibus sequentes saltem lineas, qua haben-
 tur lib. 5. c. 1. pag. m. 980. huc apponere lubet: Nach des Biſchoffs
 Tidemanni Giſen Ableiben / ist Anno 1551. zum Ermeländischen Bi-
 ſchoff verordnet worden Stanislaus Hoſius, welcher der Stadt (Elbing)
 wegen der Religion heſtig zugeſezet; maſſen ſein Dichten und
 Trachten einſig und allein dahin gerichtet geveſen / wie er die Lu-
 theraner / wie allenthalben in Preuſſen / also abſonderlich in Elbing
 dämpffen / und die Römische Religion wieder einführen möchte.
 Da gieng keine Occaſion vor / kein Land-Tag ward in Preuſſen /
 kein Reichs-Tag in Pohlen gehalten / da er nicht ſolte wider die
 Stadt Elbing geredet / und alles / was ihm nur möglich geveſen /
 gethan haben / damit er nur zu dieſem ihme vorgeſetzten Zweck
 geinigen möchte. Doch wehreten ſich die von Elbing ſo gut als
 ſie kunten / und hielten einen Weg wie den andern um das freye
 Exercitium Religionis bey dem Könige Sigismundo an / bis ſie endlich
 das / was ſie ſo lange geſucht / obrimivet. Quomodo autem Simon
 Rudnicky Elbingenſes infeſtaverit. vide. 3. lib. 5. apud c. auſt.*

Quos tenuis fortuna suâ caligine celat,
 Auxiliatricem his gaudent extendere dextram,
 Celata ut virtus illorum emergere possit.
 Ipse ego, qui tenuem laudis deducere venam
 O ELBINGA, Tuæ studeo, nunc integer hujus
 Arbiter esse queo (quamvis & teste citatò
 Non sit opus, cum res per se satis ipsa loquatur.)
 Ante duo, nam cum, CHARA, ad Te lustra venirem,
 Ast premeret miserum duris in rebus egestas:
 Anchora quod navi, domui quod fulcra ruenti,
 Quod tenebris Sol est, mihi Patres hocce fuerunt
 Ecce Tui! Statio tuti placidissima portûs.
 Sextus & exactis cum plenus mensibus esset
 Annus, & in studium traheret me Musa Preglana;
 Denuò tunc artûs placuit succurrere rebus,
 Ac in tres annos concedere munera grata.
 Nunc animus cum sit longinquas tendere in oras,
 Lustrare & gentes aliò sub sole repostas;
 Sunt mihi perfugium, rerum & tutela mearum.
 O nimium felix, ô terque quaterque beata
 DRUSIPOLIS, quæ tam generoso sanguine cretos
 Rectores populi producis! Maeste perenni
 Laude hæc assiduò. Magnum est Te gignere Cajos
 Stemmata patritio claros, sed majus eosdem
 Certam in communis Patriæ genuisse salutem.
 Jactat Roma vetus Curios fortesque Camillos,
 Et Fabios cum Marcellis, Deciosque Titosque,
 Nec non Scipiades, victoris fulmina Martis,
 Quorum præfidiò Respublica firma Quiritum
 Et stetit, & viguit, crementa que maxima coepit.
 Sed Tu (12) æque poteris serie, producere longâ

B 2

Insigni

(12) Nota sunt splendida & de Elbingâ optimè merita familia,
 Hop-

Insigni virtute pares meritisque vetustis
 Æmiliis, quorum prælustria nomina fulgent
 In libro memori fastorum, & in æthere puro,
 Lactea quâ niveo procedit semita limbo.
 Si mihi sint linguæ centum, si Phœbus & ipse
 Pieriæ donet citharæ mihi mobile plectrum,
 Non potero memorare satis, quæ dona ministrat
 O DILECTA Tibi, celsi moderator Olympi.
 Mente revolve Tuâ, divo spiramine Vates
 Quàm doctos habeas, quibus agmen credidit HERUS
 Charum cœlestis: noctesque diesque tuentur
 Hoc opus ac munus, scelereum ne devoret oves
 Omne genus, trahat in laqueos vel devius error
 Doctrinæ; verbi quem fulmine pellere norunt,
 Pectore & hæreticas generoso arcere rapinas,
 Cum primis Babyloniacas turbare cohortes.
 His quondam placuit mendacis dogmata sectæ (13)
 Perdere, & intrepidè mysteria vera docere,
 Nil Satanam; mundumque nihil, carnemque morando.
 Atque deesse Tibi vix possunt verbipotentes
 Mystæ; tam referant summi qui Oracula Regis.

Nam
 Hoppiorum, Sprengeliorum, Isendorfforum, Neandrorum, Mejenre-
 forum, Horniorum, Ramsejorum, Helvingiorum, Brauniorum, Barn-
 rorum, Treschenbergiorum, Zameliorum, qui passim in Scriptis
 Doctorum virorum celebrantur vid. Job. Petr. Titu Noctium Patri-
 carum Præmia, Hartknoch, in not. ad Duab. & Dissert. Hist. it.
 Preuss. Kirch. Hist. p. 1006. Cadmenus in Britann. Chorogr. Descr. p.
 704. Magnif. D. Jac. Roule Conf. Elb. Bilogiam Sc. M. Børgeri & Beh-
 mii Acclamations Sc. Præclar. Dn. M. Urini Splendor virutum Sc.
 & Tessera justiss. Observ. Præcl. Dn. Henningii Voiv. Acclamat. Re-
 ver. Dn. Zeidleri Corona Civica, Nobiliss. Dn. Marquardi Biga Ana-
 grammatum, it. Latum Musarum ωεσφώνημα, Nob. Dn. Willenii
 Allusiones Epigrammaticæ Sc.

(13) Hæc de re videatur Hartknoch. Preuss. Kirchen-Hist. lib.
 5. c. 4. pag. 1027. & 1030.

1777

Nam celebri ac pulchrâ doctrinæ ornata Magistra es (14)
 Quæ tantum Prussas inter caput extulit Almas,
 Quantum lonta solent inter viburna cupressi.
 Confluit illorum Chorus huc, qui castra sequuntur
 Musarum, & cupiunt studiis intendere mentem,
 Quam vox perdoctam format perdocta Magistri.
 Namque Tuos populos sanctâ qui lege gubernant,
 Non his officium tradunt munusque docendi, (15)
 Qui pueris tantum hæc nôrunt præcepta referre:

B 3

Ut

(14) *Vid. David. Frœlichius Part. 3. Bibliothec. seu Cynosura peregrinantium tit. Schola, ubi, postquam de splendore Gymnasia Elbingensis prolixè disseruit, his tandem verbis concludit: Ut ita neq; ad ornatum neq; ad usum quicquam ulla in parte omissum aut neglectum videatur in hoc Elbingensium edificio Scholastico. Gottlieb Himmelstfreund in der Continuation des nach berühmtesten Mathematicorum Art Neuen und Alten Calenders / in Descript. Civitat. Elbinga s. f. lib. de Gymnasio Elb. hæc habet: Zu Ende des vorigen Seculi ist daselbst (nemlich allwo zuvor das Schloß / so nebst dem Marienburgischen das schönste in Preussen war / gestanden / von den Bürgern aber in den Grund gerissen zc.) das neue Gebäude / zum Gymnasio aufgerichtet / welches an Zierlichkeit allen Preussischen / ja auch wol vielen auswärtigen Schul-Gebäuden vorgehet.*

(15) *Quod Gymnasium Elbingense non solum Doctissimis viris semper instructum fuerit ac etiamnum instructum sit; sed quod etiam præter humaniores, quas vocant, graviore quoq; disciplina in eo olim tradita fuerint, & nunc quoq; tradantur liquidò (ut, quantum ad presens tempus attinet, experientiam taceam) constare potest ex sequentibus B. Hartkn. testimoniis. Ita enim in Preuss. Kirchens Hist. lib. 5. c. 2. p. 1007. hæc de re disserit: Nach dieser Zeit hat dieses Gymnasium auch andere (nam paulò ante enumeravit plures) stättliche gehabt / als den Michäelem Mylium, Johannem Cramerum, und Fridericum Hoffmannum, Rectores daselbsten / wie auch Joachimum Pastorium, dieses Gymnasia Directorem, und Johannem Nicolai, Professorem Honorarium, daß ich hier der jetzt lebenden nicht gedenke. Et paucis interjectis pag. sequenti hæc habet: Zu Ende des vorigen*

Ut, quando rudibus monstratur littera primum
 Per faciem Nomenque suum: tum ponitur usus,
 Tum conjuncta suis formatur syllaba nodis,
 Hinc verbis structura venit per membra legendi:
 Sed qui perdoctæ non ultima gloria turbæ
 Sunt, & Thespiadum decus immortale Sororum;
 Qui dandi percomoda sunt documenta periti
 His, quibus est animus jucundis ducere vitam
 In studiis, cuncta & vigili perquirere curâ.
 Scilicet ut nôrint magni primordia mundi,
 Et rerum causas, & quod natura docebat,
 Quid DEus, unde nives, quæ fulminis esset origo,
 Jupiter an venti discussâ nube tonarent:
 Quid quateret terras, quâ sydera lege mearent.
 Hinc igitur doctus suevit prôdire frequenter
 Ordo Sacerdotum, venerandaque culmina Christi,
 Et qui prudenter populosque Scholasque gubernant.
 Ast jubet ordo Tuos, leviter quoque tangere cives,
 Quos cata simplicitas, quos prisco concolor ævo
 Candor & incoctum generoso pectus honesto
 Commendat populis. Hæc sunt munimina firma
 Urbis, magnanimæ si fas est credere Spartæ.
 Rebus in adversis constantia nescia frangi
 Robore conjuncto viresque virosque tuetur.
 Huc facit imbellis sexus impavida virtus,
 Quæ genus hoc quondam sævos animavit in hostes, (16)

Accin-
 rigem *Seculi* aber ist ein rechtes *Gymnasium*, wie es heutiges Tages
 eigentlich also genennet wird/ daraus geworden/ da nebst den dreyen
 Sprachen/ nemlich der Lateinischen/ Griechischen und Hebräischen/
 auch die Ober-Facultaten/ und insonderheit die *Philosophia* und
Theologia solte getrieben werden.

(16) *De Elbingensium mulierum non mediocri magnanimitate*
Hennoberg in voce Elbing pag. m. 112. Tit. Frauen und Jungfrauen
Mansse

Accinctum ut totis in pugnam viribus iret.

Finibus ac patriis pavidos exire juberet.

Quis putet hoc nisi sit fido pro teste vetustas?

Quæ facit ut longos durent benè gesta per annos,

Atque frui possint venturâ posteritate;

Quâ sine præteritæ non esset mentio vitæ,

Quâ sine virtuti splendor vix ullus adesset.

O faustas urbes, & ab omni parte beata

Oppida! proclivis quibus indulgentia Coeli

Cives donavit generoso pectore & armis.

Quis verò valeat digna celebrare Camœnâ

Ornamenta, Tuis quæ mœnibus INCLYTA claudis?

Ædes ingeniosâ exstructas arte decenter,

Æquali & serie positas & ordine pulchro;

Vertice sublimi tangentem sidera turrim,

Unde datur longè campos prospectus in omnes;

Ædem contiguam, flexò quam poplite honorat

Infima sæx vulgi Papæ vestigia adorans;

Nec non prædicti domicilia culta Lycei,

Pluraque cœmentis operum molimina structa,

Externi stupuère viri, stupuère Magistri

Arces Magnificas exædificare periti.

Tàm multis spectata bonis, domuumque nitellis

Undique clara nites. Quis non mirabitur arma

Hosti-

Mannheit/ *hac habet*: Die Ordens-Brüder mit den Bürgern allda/
waren sehr kühne Leut/ und thäten viel Ritterliche Thaten / und ge-
wonnen den Preussen (nemlich noch unbefehrten) oft ab / einmahl
da sie ausgezogen waren / ward solches Schwantipoln / Herzogen in
Pommern / ihrem Feinde angezeigt / der kam bald für die Stadt
mit grosser Macht: Da das die Frauen und Jungfrauen in der
Stadt sahen / zogen sie den Harnisch selber an / und mit den Weh-
ren auf die Mauern / des erschrack Schwantipol / meynet die Brü-
der und Bürger wären wieder zu Haus kommen / zeucht also unge-
schafft ab. *Ad stipulatour ei Durburg l.c. pag. 148.*

Hostibus invisa, & quorum Tibi copia dives?
 Si vis, cerne oculis, armamentaria, latis,
 In quibus aspectu facili tormenta videbis
 Ænea, nixa suis grandi præpondere rhedis.
 Transeo quadrato quæ surgunt ardua saxo
 Mœnia, turritumque decus minitantibus auctum
 Aggeribus: Vallis munimina firma superbis,
 Prussica quæ superant (17) nunc propugnacula cuncta.
 Et portas taceo ferro & compagibus arctis
 Firmas, quas vigilum solers custodia servat,
 Turbaque belligerum fidâ statione tuetur,
 Ac aditum semper vigili custode coronat.
 Sed quid ego tenuis conor sublimia? BLANDA
 MATER, da veniam, haud tecum procedere possum
 Amplius, exilis venæ mihi concius. Alter
 Aufonius quærendus erit, Tritonvé canorus,
 Qui conchâ resonante Svecis Tua nomina Nymphis
 Prædicet Arctoum latè recinenda per orbem.
 Me tantæ laudis præconia tanta fatigant,
 Cultam quæ possent StatI lassare Camœnam.
 Ipsa Tuam famam vix dicere Musâ valebit,
 Hic est obtusum cujusvis vatis acumen.
 Omnibus ergo bonis, DRUSIS, macta esto perenne.
 Sic Tibi proclivis faveat clementia cœli,
 Ut maneat Regis Superûm tutamine firma
 Semper, & externo sis formidabilis hosti;
 Ut maneat Prussæ regionis amœna corona!
 Donec erit Pietas, donec Germanica virtus,
 Donec Castalidum studiis sua gloria stabit,
 Semper honos Nomenque Tuum, laudesque manebunt.

(17) Notum est de Prussica civitatibus dictorum: Königsberg
 die größte/ Thorn die schönste/ Elbing die besteste/ &c. id quod Gott-
 lieb Himmelfreund c. l. confirmat de Elbingâ, quando eam vocat, die
 besteste Stadt in Preussen am Fluss Elbing gelegen.